


Dr. Ludwig 010

1872 1872 = 1872



5



DE SOPHI-
SMATIS CON-
STRUENDIS ET
solvendis,

Methodus Aristotelis:

*PERSPICUIS DEFINITIONIBUS, & EXEM-
plis accommodatis de-
clarata.*


Liber Lectori

*Ad Ioca: tum fraudes adversum serius idem
Promitto. Æsopum si quis amabis, emes.*

Fac.

*M. Antonius Burchardus,
Jll. Pad. SubR.*

STETINI Typis Martini Mul-
leri, Anno 1611.



DE SOTHI
SMATIS CON
STRUENDIS ET

FERRENTIS DEPI
NITIONIBUS SEXTA
SUI ACCURATISSIMIS DEPI

ALIA SUI ACCURATISSIMA DEPI
SUI ACCURATISSIMA DEPI

EST TITULUS TERTIUS
SUI ACCURATISSIMA DEPI

N
I
J
ut
ut
L
ta
ra
qu
m
m





NOBILIBVS ET
INGENUIS JUVENIBUS
& ADOLESCENTIBUS

Illustris Pædagogij Stetinensis
discipulis S.

M Ea Juventus, præ-
cepta ista ex Ari-
stotele descripse-
ram: quanquam
magis id spectans
ut res ipsa intelligeretur quam
ut verbum ex verbo redderem.
Quæ incidebant & accommoda-
ta videbantur exempla adjece-
ram. Omnia in eorum usum
qui private meæ institutioni cõ-
mendati sunt. Visum est tamen
non ingrati vobis aut sine com-

modo vestro omnium fore, si pu-
blicis typis excusa vobiscum
communicarentur. Itaq; stetit
ea sententia: Ecce hanc etiam
vobis inservire & gratificari
studijs vestris volui: quibus stu-
dere cupio vjs omnibus. Vos
gratam habete pro benevolen-
tia hanc voluntatem nostram,
& pari discendi studio responde-
te. Stetini ex typographeo 10.
Aprilis Anno 1611.

Vester

M. Antonius Burchardus.



DE



DE SOPHISMATA- TIBUS SOLVENDIS.

CAPVT PRIMVM.



Sophisma est syllogismus captiosus vel vitiosus illudendi animo propositus. Dictus est à Sophistis primis autoribus, quibus hoc studium fuit, verborum captiunculis illaqueare secū disputantes. Quod quinque modis assequiebantur. Aristoteles vocat quinque scopos Sophistarum. 1. Elencho. 2. Falso. 3. Paradoxo. 4. Nugatione. 5. Solæcismo.

Elenchus est syllogismus contradictionis. h. e. si syllogismo ostendatur aliquem duas contrarias opiniones fovere, & sic sibiipsum contradicere. e. g. Sentisne Logicam non esse artem?

Resp. Sentio.

A 3

Con-

D E

Contra: Omnis habitus instrumenta fabricans est ars.

Logica est talis habitus. E. Logica est ars. Si hunc Syllogismum solvere non potes, implicatus es Elencho. Quia sentis Logicam non esse artem: & tamen quodammodo cogaris isto Syllogismo vel elencho contrarium sentire.

Falsum est sententia manifestè falsa.

Paradoxon est sententia quæ quidem aliquos authores habere potest, sed tamen vulgò non est recepta & ipso primo sensu absurda videtur.

Nugatio est inanis & stulta repetitio vocum.

Solecismus est vitium contra syntaxin & Grammaticam.

CAPVT SECVNDVM,

DE MODO SOPHISTICANDI,

Primo, Falso.

& Secundo, Paradoxo.

De

DE Elencho postea; nunc de reliquis scopis dicemus: Primò de Falso.

Sophista adversarium insimulabit falsi his modis:

1. *Corrumpendo* ipsius sententiam, malè narrando, mutatis, additis vel omissis quibusdam.

2. *Comparando*: si dicat adversarij sententiam esse similem admodum & vicinam falsæ alicui alij opinioni.

3. *Derivando*: si dicat ex adversarij sui sententia sequi aliquam falsam opinionem aut tandem aliquando extractum iri.

4. *Demonstrando*: si sophista vitioso aliquo syllogismo ostendat falsam aliquam opinionem sequi ex adversarij sui opinione.

Solvimus hoc Sophisma per *Solutio Veri*
negationem & distinctionem; di- *Responsio.*
cimus nostram sententiam non
referri bona fide, ostendimus quid
sit mutatum, exponimus quæ sit
nostra sententia: ostendimus quã-

tum interfit inter nostram & falsam opinionem: Item negamus esse similitudinem aut consequentiam.

DE PARADOXO.

Sophista eisdem modis ad Paradoxon vel absurdum deducit suum adversarium, quibus ducebat ad falsum. Itaq; etiam hic sunt eadē solutiones: nisi quod addi quædam potest hæc scil: si negare possis sententiam objectam esse absurdam. Si solâ fide justi essent homines, sequeretur, quod maximi peccatores tamen essent justi, modo fidem haberent. Resp. hoc non est absurdum. Quia scriptum Rom. 4. 5. DEUS justificat impium.

CAPVT TERTIVM. de m. 2.

DE NUGATIONE.

So-

Sophista infimulabit adversarium suum nugari, h. e. ridiculè & turpiter eadem repetere, e. g. Dixerit aliquis prudentes, esse homines multæ experientiæ, hoc ridebit Sophista, & dicet quid opus erat addere homines? Nam vide: prudentes homines sunt homines multæ experientiæ. Jam quidam homines sunt homines prudentes, Ergo quidam homines sunt homines homines multæ experientiæ.

Quid, inquires, est hac nugatione turpius? quis enim homines homines esse ignorat? Resp.

Per distinctionem: Aliud est nugari, aliud necessaria explicare. *Solutio.*

Nugari est inanem sonum effundere sine mente & sensu, quod hîc non fit: quando dicitur prudentes sunt homines. Repetere autem ista, quod tu facis in conclusione, nihil est opus.

CAPVT IV. de m. 3.

DE SOLÆCISMO.

A 5

So-

Sophista ridet adversarium deducendo ex illius sermone Solæcismum sive vitium constructionis.

Modus hic est: Sumit propositionem adversarij & illi subjungit suam aliquam propositionem in formâ syllogisticâ & inde concludit propositionem malè Grammaticam propter vocabula in eadem constructione posita, quâ posita erant in aliquâ propositione. e. g. Quod dicis esse, est: Sed lapidem dicis esse: Ergo lapidem est.

Aliud Exemplum.

Omnia amicorum sunt communia.

Nos sumus amicorum.

E. Nos sumus omnia communia.

Aliud Exemplum.

Quod dicis illum esse hoc est.

Tu dicis illum Petrum esse.

E. Petrum est.

Ali-

Aliud Exemplum.

Hoc est lapis.

Tu scis hoc

E. Tu scis lapis.

Respondetur non rectè colli- *Solutio.*
gitur secundum Grammaticam.
Non enim est necesse, ut idem ca-
sus in aliâ propositione ponatur,
sed debet poni is casus quem con-
junctus terminus requirit, saltem
ut maneat idem sensus, vel eadem
significatio termini secundum ca-
sum mutati.

CAPVT QVINTVM,

DE ELENCHO.

Elenchus est syllogismus osten-
dens aliquem sibi ipsum con-
tradicare, ut supra definitum est:
Vel aliter: Elenchus significat
argumentum contrarium vel the-
sin evertens.

Sophistæ faciunt hujusmodi
sylo.

ſyllogiſmos malos ex certis locis quibus videntur evertere noſtram theſin, ſed non evertunt. Loci illi ſic dividuntur. Quidam captantur ex dictione vel verbis: quidam extra dictionem vel ex rebus.

Loci Sophiſtici ex dictione ſunt ſex. 1. Fallacia æquivocati-
onis vel Homonymiæ. 2. Ambi-
guitatis vel Amphiboliæ. 3. Fal-
lacia compositionis. 4. Fallacia
diviſionis. 5. Fallacia Accentus.
6. Fallacia figuræ dictionis.

Loci Sophiſtici extra dictio-
nem vel ex rebus ſunt ſeptem. 1.
Fallacia accidentis. 2. Fallacia à
dicto ſecundum quid, ad dictum
ſimpliciter. 3. Fallacia ignorati
Elenchi. 4. Petitio principij vel
quæſiti. 5. Fallacia conſequentis.
6. Fallacia ſecundum non cauſam
ut cauſam. 7. Fallacia plurium in-
terrogationum.

CAPVT SEXTVM.

DE

DE FALLACIA HO-
MONYMIÆ.

Homonymia, latinè Æquivo-
catio, est significatio multi-
plex & ambigua unius alicujus vo-
cis. e. g. In vocabulo CANIS est
Homonymia i. e. multiplex signi-
ficatio, quia significat hominem
impudentem, & animal quadru-
pes, & sydus.

Si igitur unum vocabulum a-
liter accipiatur in alià propositio-
ne, tum fiunt quatuor termini in
syllogismo, & sic non est bonus syl-
logismus, quia omnis bonus syllogi-
smus habet tantum tres terminos.

*Exempla Fallaciarum ex Ho-
monymia.*

*Omnis canis est quadrupes
Parmeno apud Terentium est Canis
& Parmeno apud Terentium est qua-
(drupes.*

SOLUTIO.

Re-

Respondetur: Committitur
Fallacia Homonymiæ in medio
termino qui aliter significat in ma-
jore & aliter in minore: itaq; nul-
la est consequentia, quia ubi sunt
quatuor termini, ibi nulla est ve-
ra consequentia.

Aliud Exemplum.

Quicquid ridet habet os.

Omnia nunc rident.

E. Omnia habent os.

Respondetur ut supra.

Aliud Exemplum.

Qui surgebat stat

Sed sedens surgebat

E. sedens stat.

Solutio. Respondeo: Est Fallacia Ho-
monymia: Minor terminus est
æquivocus & aliter accipitur in
minore, aliter in conclusione. In
minore sedens i. e. qui sedebat:
In conclusione sedens, i. e. qui se-
det. *Ali-*

Aliud exemplum.

*Ferreum est ex terrâ natum
Cælum est ferreum i. e. instrumentũ
E. Cælum est ex terrâ natũ. (illud*

Respondetur ut supra.

Aliud exemplum.

*Mundus est cælum & terra,
Sed decem esse mundos dicit Christ9.
E. decem sunt cæli & terra.*

Medius terminus accipitur a- *Solutio.*
liter in minore: esse decem mun-
dos i. e. à lepra curatos: aliter ac-
cipitur in majore mundus i. e. ma-
china cæli & terræ. Itaq; sunt qua-
tuor termini & non est bonus syl-
logismus.

Aliud exemplum.

*Nullum animal est bulla
Omnis homo est animal
E. Homo non est bulla.*

ma

Re-

Solutio.

Respondetur: Est Fallacia Homonymiæ. Major terminus est æquivocus. Aliter accipitur in maiore, aliter in conclusione e. g. Nullū animal est bulla, i. e. species bullæ
In conclusione: Homo non est bulla i. e. similis bullæ.

Aliud exemplum.

*Δόμεναι est qui potest dare
Ego non possum dare
E. ego non sum Domine.*

Solutio.

Respondetur: Est Fallacia Homonymiæ. Major terminus est æquivocus, aliter accipitur in maiori, aliter in conclusione. In Maiori Græcum est & significat Dare: In conclusione est nomen honoris Itaqué; sunt quatuor termini & nulla est consequentia.

CAPVT SEPTIMVM,

DE FALLACIA AM-
PHIBOLIÆ.

Am-

Amphibolia est ambiguitas constructionis, quando duæ vel plures voces compositæ, sive sententia, aut oratio plures sensus admittit. e. g. Diabolus à Cræso consultus an esset victoriam obtenturus contra Cyrum respondit per Amphiboliam:

*Cræsus Halym penetrans magnam
(pervertet opum vim).*

Hoc est, Cræsus proficiscens adversus hostes evertet magnas opes. Hæc sententia est ambigua. 1. Pervertet opes, intelligi potest de hostilibus opibus, ita intelligebat Cræsus. 2. Intelligi potest de suis Cræsi opibus, ita intelligebat Diabolus & fallebat eo sophismate miserum Cræsum.

Aliud exemplum.

Aio te Æacida Romanos vincere

(posse)

Hujusmodi Amphibolia est

B

usi-

usitatissima in duobus Accusativis,
quorum alter præcedit alter sequi-
tur infinitivum aliquem medium
e. g.

*Qui fatetur se percussisse pœnam luat
Sed hic fatetur se percussisse vicinum
E. Hic pœnam luat.*

Solutio.

Respondetur. Propositio mi-
nor est amphibola seu ambigua:
Fateor me percussum esse, sed non
fateor me percussisse.

Aliud exemplum.

*Liber Aristotelis possidetur ab Ari-
(stotele)*

Sed infiniti sunt libri Aristotelis

*E. Infiniti libri possidentur ab Ari-
(stotele)*

Respondetur. Medius termi-
nus est amphibolus vel ambiguus:
in propositione majore significat
librum cujus Aristoteles est domi-
nus. In propositione minore si-
gnificat cujus Aristoteles est Au-
thor.

Ali-

Aliud exemplum.

*Quod quis videt, hoc sentit
Sed lapidem aliquis videt
E. Lapis sentit.*

Respondetur: Major terminus est amphibolus. In propositione majore, (hoc) significat, (eam rem) & passivè quidem i. e. sentiri. In conclusione idem terminus sumitur activè & in nominativo.

CAPVT OCTAVVM,

*DE FALLACIA COM-
POSITIONIS.*

Compositio est quando verba divisim posita vera quidem sunt, sed per sophisticationem simulatè & tectè componuntur, & fiunt falsa e. g. Qui bibit semper immortalis est. Sed Anser bibit
E. Anser semper immortalis est.

Respondetur: Est Fallacia compositionis in termino majori.

B 2

Nam

Nam vox semper in propositione,
majore erat divisa, in conclusione
autem jungitur cum majore ter-
mino, & hinc oriuntur quatuor
termini.

Aliud Exemplum,

*Duo & tria sunt paria & imparia
Sed quinq; sunt duo & tria
E. Quinq; sunt paria & imparia.*

Respondetur: Est Fallacia
compositionis in medio termi-
no: Nam propositio major
significat divisim & separatim:
duo sunt paria, & tria sunt imparia:
In propositione minore significat
compositè, quatenus duo & tria
componuntur in unum numerum
hactenus duo & tria sunt quinq;.

CAPVT NONVM.

*DE FALLACIA DI-
VISIONIS.*

Divi-

ne,
one
er-
uor

Divisio est, quæ separat voces
clàm & Sophisticè, quæ con-
junctæ veræ essent e. g. Quisquis
nunc verè natus dicitur, is hodiè
natus est, sed tu nunc verè diceris
esse natus E. Tu hodie es natus.

Respondetur: Nulla est con-
sequentia, est Fallacia divisionis in
medio termino: particula nūc cō-
posita erat in majore cū vocabulo
natus: in minori componitur cum
vocabulo dicitur, hinc sūt quatuor
termini. Quia alius est terminus
qui dicitur esse nunc natus, & alius
terminus nunc dicitur esse natus.

CAPVT VIII.

*DE FALLACIA AC-
CENTUS.*

Accentus est quantitas Syllabæ,
item spiritus nimirum H. Fal-
lacia ex accentu sumitur quando
duæ voces diversæ differunt ac-
centu & sophista illis utitur pro
una & eadem e. g. Ara, & Ha-

B 3

ra,

divi-

ra, Leporem & Leporem, populus
i. e. arbor, & populus i. e. plebs.
Edo i. e. emitto, & Edo i. e. come-
do, omini, homini.

Hinc fiunt Sophismata.

*Qui leporem venari vult, canes ad-
(ducat oportet
Tu dicis te leporem venari velle
(jocos facere)
E. canes adducas oportet.*

Aliud Exemplum.

*Edere est devorare
Tu jubes me confessionem edere
E. Tu jubes me, confessionem devora-
(re.)*

Aliud.

*Nulli omini est fides adhibenda.
Alicui homini est fides adhibenda
E. cui est fides adhibenda, huic fides
non est adhibenda, quod est contra-
dictio.*

Ali-

Aliud.

*In ara eris sacerdos
Ego faciam te promoveri in haram
E. Ego faceam te promoveri sacer-
(dotem.)*

Aliud.

*Qui jacet nondum est victus
Sed tu jaces.
E. Nondum es victus*

Respondetur: Est fallacia ac-
centus & sunt quatuor termini.

CAPVT DECIMVM,

*DE FALLACIA FI-
GURÆ DITIONIS.*

Figura dictionis est primo quasi
intuitu apparens significatio,
& vulgo ac communiter recepta,
sed quæ tamen in præsentia non
habet locum.

Plura sunt genera hujus falla-
ciæ, primum quando quid pro qua-

B 4

livel

li vel quanto aut contra videtur si-
gnificari e. g.

*Quod quis dat hoc habet
Sed decem thaleros habens, non habet
(unum solum thalerum),
E. Decem thaleros habens, non potest
(unum solum thalerum dare.*

Respondetur: Est fallacia fi-
guræ dictionis in medio termino.
Item major terminus: Quod
quisq; habet & dat dicitur duobus
modis, nam in majori dicitur de
quid & de substantia & de re. In
minori dicitur de quanto sive de
numero.

Aliud exemplum.

*Quod emisti comedisti
Sed crudas carnes emisti
E. Crudas carnes comedisti.*

Respondetur: Est fallacia fi-
guræ dictionis. Confunditur quid
& quale. Vel concedo majorem
de

de substantia & de re, non concedo de qualitate, quæ assumitur in minori.

Aliud exemplum.

Quod quis bibit in ventrem in-
(fundit

Sed poculum vini bibis

E. Poculum vini in ventrem in-
fundis.

Respondetur: Est fallacia figuræ dictionis: Confunditur quid & ubi: Vel concedo majorem de substantia quam bibo, non de loco aut instrumento de quo subsumitur in minori.

Aliud exemplum.

Quem me heri vidisti etiam nunc
(vides

Sed heri me vidisti dormientem vel
(ebrium

E. etiam nunc vides talem.

B 5

Re-

Respondetur: Est fallacia figuræ dictionis confunditur quid & quale: vel concedo majorem de quid vel substantia non de qualitatibus, de quibus subsumitur minor.

Allud exemplum.

*Idem qui olim natus es à matre etiam
(am nunc es.*

*Sed infans & sine ratione & loquela
(et tantillus olim natus es*

*E. Puer & sine ratione & loquela &
(tantillus etiam nunc es.*

Respondetur: Est fallacia figuræ dictionis, confunditur quid cum quali ac quando, sive concedo majorem de substantia non de qualitate & quantitate de quibus minor subsumitur.

Secundum genus figuræ dictionis est, cum vocabula artium Grammatica & Logica scilicet nunc *τεχνικῶς* & nunc Physicè vel propriè sumuntur e. g.

Mus

Mus rodit caseum
Mus est syllaba
E. Syllaba rodit caseum.

Respondetur: Est fallacia figuræ dictionis, mus in majore significat *τεχνικῶς* h. e. vocabulum illud sive literæ illæ. In majore autem significat Physicè sive propriè.

Aliud exemplum.

Homo est generis communis
Tua amica est homo
E. Tua amica est generis communis.

Respondetur: Est fallacia figuræ dictionis homo in majore significat *τεχνικῶς*.

Aliud.

Animal est generis neutri
Homo est Animal
E. Homo est generis neutri.

Respondetur idem.

Ali-

Aliud.

Animal est genus

Tu es animal

E. Tu es genus.

Respondetur: Animal in ma-
jore significat Logicè, in minore si-
gnificat physicè.

Aliud.

Casus est nequam

Tu es casum

E. es nequam.

Respondetur: Est duplex fal-
lacia. 1. Major terminus in con-
clusionem est ambiguus. Es i. e. edis
ut nequam sit Accusativus. 2. Est
fallacia figuræ dictionis. Es in ma-
jore propositione sumitur Logicè
tanquam copula: In minore su-
mitur Physice & significat edere.

Tertium genus est, quod du-
citur ex tropis vel figuris Rhetori-
cis e. g.

Qui

*Qui dicit te bonum virum, ille te lau-
(dat, huic non potes irasci
Sed Simo dicit Davum bonum virum
E. Simo Davum laudat.*

Respondetur: Est fallacia figuræ
dictionis, major loquitur de simpli-
ci oratione, minor de figuratâ vel
per Ironiam.

Aliud.

*Omnia, que in scriptura extant sunt
(vera & salutaria
Sed in scriptura extat edamus & bi-
(bamus, cras moriemur
E. Hoc est verum & salutare.*

Respondetur: Est fallacia fi-
guræ dictionis, Major loquitur de
sententia simplici sive quod scri-
ptura dicit ex suâ sententiâ: mi-
nor loquitur de oratione figuratâ
per Mimesin.

CAPVT VNDECIMVM,

DE

DE LOCIS SOPHI-
SMATVM EXTRA DI-
CTIONEM: & de
fallacia Acci-
dentis.

Loci extra dictionem sophistici
vocantur, quando non ex ver-
bis quidem, sed ex rebus captatur
aliqua fallacia.

Locus primus est Fallacia ac-
cidentis. Hanc vocant, quando
terminus aliquis rectè tribuitur
alicui prædicato: Sed non rectè e-
jusdem subjecto aut contra e. g.

*Quid sim interrogaturus nescis
Sed quot sint literæ alphabeti & quid
sit Grammatica eram te interro-
gaturus*

*E. Quot literæ in Alphabeto & quid
sit Grammatica nescis.*

Respondetur: Nulla est conse-
quentia est fallacia accidentis. Hoc
quidem verum est quod nesciam
quid tu sis interrogaturus: inte-
rim

rim non sequitur, quod rem, quam
tu sis interrogaturus, nesciam.

Regula.

Non semper quaecunq; dicun-
tur de prædicato verè dicuntur et-
iam de subjecto, maximè si ille
medius terminus sit accidens mi-
noris.

Aliud exemplum.

*Quis hic jaceat post fornacem i-
gnoras*

*Sed frater tuus jacet post forna-
cem,*

E. Fratrem tuum ignoras.

Respondetur ut supra.

Aliud exemplum.

Hic liber est opus,

Hic liber est meus

E. est meum opus.

Respondetur: Est fallacia ac-
ci-

cidentis: opus rectè dicitur de libro
item meum rectè dicitur de libro
tanquam de subjecto, sed meum
non rectè dicitur de opere.

Regula.

Non omnia quæcunq; tribu-
untur uni subjecto, etiam sibi invi-
cem tribuuntur. Præterea nulla
est forma Syllogistica medius ter-
minus ponitur in conclusione.

Aliud exemplum.

Hic canis est tuus

Hic canis est pater

E. Est tuus pater.

Respondetur idem: Est falla-
cia accidentis, pater rectè dicitur
de cane, item tuus, sed tuus non
rectè dicitur de patre.

Aliud.

*Omne animal aliud est rationale, a-
liud brutum.*

Omnis

Omnis homo est animal

*E. Omnis homo est alius rationalis a-
lius irrationalis.*

VEL SIC.

*Omne animal aliud est bipes aliud
quadrupes.*

Sed homo est animal

*E. Homo alius est bipes alius qua-
drupes.*

VEL SIC.

*Omnis homo alius est dives alius est
pauper*

Omnis pauper est homo

*E. Omnis pauper alius est pauper ali-
us dives.*

Respondetur: Est fallacia ac-
cidentis, major terminus rectè
quidem tribuitur medio termino
tanquam prædicato minoris ter-
mini, sed non rectè tribuitur ipsi
minori termino:

Ratio: quia major terminus
tribuitur medio quatenus diver-
sum

sum quid est non quatenus unum
quid cum minori vel quatenus ille
prædicatur de minori e. g. Esse a-
liud bipes aliud quadrupes rectè
dicitur de animali quatenus est di-
versum, quod generaliter & abstra-
ctè consideratur: verum quatenus
animal prædicatur de homine &
est idem quod homo, non conve-
nit animali major ille terminus h.
e. quod alius homo sit bipes, alius
quadrupes, non est verum.

CAPVT DVODECIMVM,

*DE FALLACIA à DI-
CTO SECUNDUM
QUID.*

Locus secundus Sophisticus ex-
tra dictionem est fallacia ab eo,
quod secundum quid dictum, qua-
si simpliciter dictum esset accipi-
tur. Secundum quid dictum est
propositio vel terminus, cum ali-
qua conditione vel additione &
restrictione. Simpliciter dictum
est

est eadem propositio vel idem terminus, sed dempta illa additione: Unde hi sunt duo termini, quos Sophista pro uno accipit: saltem inter se consequi vult.

Regula.

Conclusio conferenda est cū propositionibus & si idem terminus in alterutris secundum quid accipiatur, in alteris simpliciter, tunc erit hæc fallacia e. g.

Purgatorium est secundum multorum opinionem.

E. Purgatorium est.

Respondetur, concedo secundum multorum opinionem, sed non sequitur ergo est.

Aliud exemplum.

Virgilius fuit magnus Poëta.

E. Virgilius fuit magnus.

Respondetur est fallacia secundum quid

C 2

Ali-

Aliud Exemplum.

Medius fuit malus Poeta.

E. Medius fuit Poeta.

Aliud exemplum.

Promissa sunt servanda.

*Sed nemini vim inferre sunt principi-
pis promissa.*

*E. ut nemini vim inferat, principi est
servandum, consequenter ne
reos puniat.*

Respondetur ad minorem ter-
minum esse fallaciam à dicto se-
cundum quid: non esse promissio-
nem principis ita simplicem, ve-
rum cum conditione si cives fece-
rint officium.

Aliud Exemplum.

*Qui facit quod juravit non peiera-
vit*

*Sed quidam jurans se peieraturum
Et postea pejerans fecit quod
juravit.*

E. Idem

*E. Idem peierans non peieravit quod
est absurdum.*

Respondetur, Est fallacia à di-
cto secundum quid. In majori ter-
mino non peieravit secundum
hoc quod. pejeraturum se jura-
vit sive in primo juramento non
peieravit. Sed non sequitur: Er-
go simpliciter non peieravit.
Peieravit enim in secundo jura-
mento.

Aliud Exemplum.

*Æthiops est niger
Sed idem est albus dentibus & oculis
E. Idem est albus & niger.*

Respondetur: Est fallacia à di-
cto secundum quid. Secundum a-
liud est niger scil: toto corpore,
secundum aliud est albus, Nam est
niger simpliciter, & tamen est al-
bus scil: Secundum quid cum ad-
jectione, scil: Æthiops est albus se-
cundum dentes.

C 3

CA-

CAPVT TERTIVMDECIMVM,
*DE IGNORATIONE
ELENCHI.*

Elenchus est Syllogismus ever-
tens thesin, & sic oppositus the-
si ut conclusio Elenchi & thesis sint
inter se oppositæ.

Ignoratio Elenchi appellatur
si non sit oppositio in Elenchi con-
clusionem & in Thesi e. g. Si quis
concludit planè aliena & quæ nihil
pertinent ad Thesin, & quæ non
sunt controversa: aut mutat ali-
quem terminum aut terminum a-
liquem accipit alio respectu, aut
alio tempore aut per ambiguita-
tem e. g. sit thesis.

Omnes homines sunt peccatores

Hæc potest sophisticè ita oppugna-
(ri:

*Deus omnia quæ fecit, fecit valdè bo-
na,*

An non fecit Deus hominem?

E. Deus fecit hominem valdè bonum.

Re-

Respondetur: Est fallacia igno-
rati Elenchi: vel non est contra
thesin: hæc nihil ad nos, hæc ni-
hil ad rem: quid tum? concedo
totum syllogismum.

*Aliud argumentum Sophi-
sticum.*

*Nulli, qui in Christum credunt, da-
mnantur.*

*Omnes qui in Christum credunt, sunt
homines*

E. Non omnes homines damnantur.

Respondetur: Est fallacia E-
lenchi vel ignoratæ definitionis
Elenchi: non est contra thesin: nõ
dicimus quod omnes homines da-
mnentur, sed quod omnes homines
sint peccatores.

Alia oppositio.

Angeli boni non sunt peccatores

Omnes angeli sunt creatura Dei

*E. Quaedam creatura Dei non sunt
peccatores. Est*

R. Est fallacia Elenchi.

Elenchus est oppositio. Oppositio requirit idem subjectum & prædicatum, verum in isto Elencho est aliud subjectum, & aliud est in Thesi.

Aliud Exemplum.

*Qui credunt in Christum non sunt
peccatores*

*Qui credunt in Christum sunt homi-
nes*

*E. Quidam homines non sunt pecca-
tores.*

Respondetur: Est fallacia Elenchi, Major terminus alio respectu accipitur in Thesi & alio respectu in Elencho. Omnes homines sunt peccatores: intelligimus de natura & de jure. Quando Elenchus probat quosdam homines non esse peccatores intelligit de gratia, condonatione & misericordia non de natura & jure, Itaq; non est oppositio.

Ali-

Aliud exemplum.

*Adam in statu integritatis non fuit
peccator,*

*Adam in statu integritatis fuit homo
E. Quidam homo non est peccator.*

Respondetur: Est fallacia Elenchi. Major terminus de alio tempore accipitur in Elencho & de alio in Thesi. Quando dicimus omnes homines sunt peccatores: Intelligimus tantum tempus post lapsum, non ante lapsum.

Aliud.

Christus non est peccator

Christus est homo

E. Quidam homo non est peccator.

Est fallacia ignorati Elenchi subjectum aliter accipitur in Thesi & aliter in conclusione Elenchi. Quando dicimus omnes homines sunt peccatores intelligimus omnes homines communi conditi-

C s

one

one natos excluso Christo, qui ex Spiritu Sancto conceptus est, & sic non est peccator. Itaq; Elenchus non contradicit nobis, dum concludit aliquem hominem Christum scil. qui non est natus communi conditione, non esse peccatorem.

Aliud.

Monstro hominem pictum & dico hic non est peccator.

Hic est Homo

E. Quidam homines non sunt peccatores.

Est fallacia ignorati Elenchi. In Elencho vel in oppositione non debet intervenire ambiguitas terminorum, Jam verò hic terminus minor est perspicuè ambiguus & in Elencho accipitur pro pictura. In Thesi pro animali.

Aliud exemplum.

Peccatores sunt malefici

Sed

Sed nō omnes homines sunt malefici
E. Non omnes homines sunt peccato-
res.

Respondetur: Est fallacia i-
gnorati Elenchi. Quia est ambigui-
tas in majori termino sive prædi-
cato quæstionis.

CAPVT XIII.

DE PETITIONE PRIN-
CIPII VEL QUÆSITI.

PETERE est ponere loco probatio-
nis. Quæsitum est ipsa quæstio
quæ Græcè appellatur, id quod est
in principio scil. propositum τὸ ἐν
ἀρχῇ. Inde appellarunt petitionem
principij. Rectius appellatur peti-
tio quæsitij. Est autem petitio quæ-
siti, si aut ipsa conclusio, aut propo-
sitiō aliqua cognata, sed æquè ob-
scura, & dubia loco probationis ad-
ducitur e. g.

Omnis nix est nigra
Sed omnis nix est nix
E. Omnis nix est nigra.

Re-

Respondetur: Nulla est consequentia est petitio quaesiti, major propositio est ipsa conclusio. Sed quaedam sunt petitiones quaesiti latentes quae sic inveniuntur. nempe si medium terminum sumas genus alterius potiss. minoris termini, aut Synonimon, aut definitionem, aut proprium, aut partes, sed qui termini cum reliquo Syllogismi termino connexi faciunt propositionem aliquam eque dubiam atq; est ipsa conclusio e.g.

Primum ex genere minoris termini,

*Omne meteoron vel omne corpus est
nigrum*

*Sed nix est Meteoron vel nix est corpus
E. nix est nigra.* (pus

Respondetur: Est petitio quaesiti, major est aequè dubia quam ipsa conclusio.

*Aliud à Synonimo praedicati
majoris termini.*

Omne

Omne atrum est nigrum
Omnis nix est atra
E. Omnis nix est nigra

R. Est petitio quæ sit in minori propositione quæ est æque controversa atq; ipsa conclusio.

Aliud ex proprio minoris termini.

Omne candidum est nigrum
Omnis nix est candida
E. omnis nix est nigra

Respondetur: Est petitio quæ sit in maiore propositione, quæ est magis dubia quam ipsa conclusio.

Aliud ex proprio maioris termini.

Quod congregat visum est atrum
Sex nix congregat visum.
E. nix est atra

Respondetur: Est petitio quæ sit in minori propositione quæ est æquè dubia quam ipsa conclusio.

Ali-

Aliud ex partibus.

*Nix est cava & gibba parte nigra,
Gibba & cava pars nivis sunt nix
E. nix est nigra.*

Respondetur in majori propositione est petitio quaesiti, quia haec aequè obscura & dubia quam ipsa conclusio.

CAPVT XV.

DE FALLACIA CONSEQUENTIS.

FAllacia consequentis est syllogismus in secunda figura affirmativus, aut minor negativa in prima figurâ e. g.

*Philosophi sunt viri docti
Jurisconsulti sunt viri docti
E. Jurisconsulti sunt Philosophi.*

Aliud.

*Anseres sunt aves
Aquila non sunt anseres*

E. Aquila

E. Aquila non sunt aves.

Sed hi vitiosi syllogismi hujus generis, si ita integri proponantur, nimis perspicuum habent vitium. Itaquæ proponi solent vel Hypotheticè vel Enthymematicè. Hypotheticè tunc vel in Hypothesi est vitium vel in assumptione. In Hypothesi est vitium, si quod est generalius ponitur in antecedente sive in primo loco, & quod specialius est ponitur in consequente sive extremo loco. e. g.

Si hoc est virtus

E. est fortitudo.

Respondetur : Non sequitur in hypothese affirmativa sive finitâ omne sequens debet latius vel æquè latè petere, quam suum antecedens & si fiat syllogismus categoricus erit perspicuum vitium.

Aliud

Aliud exemplum.

*Si hoc non est fortitudo non est
virtus.*

Respondetur: Est fallacia consequentis. Hoc quidem sequitur: Si hoc non est virtus non est fortitudo: quia in omni hypothesis infinita, subjectum debet esse generalius & prædicatum specialius. Nisi æquè latè patent termini sive simpliciter convertibiles sunt. Et si resolvatur in syllogismum categoricum, fiet minor negativa in primâ figura. In assumptione committitur vitium si hypothesis rectè quidem se habeat sed malè assumatur & contra regulas.

Regule due sunt.

Prima Regula.

A positione antecedentis ad
posi-

positionem consequentis valet
consequentia, sed non contra.

e. g.

Si hoc est rana tunc est animal

Sed hoc est rana

E. est animal.

Peccatur contra hanc regu-
lam si ponatur, [hoc est affirma-
tivè assumatur] consequens, &
inde concludatur antecedens e. g.
si sic argumenter.

Si amica tua est rana est animal

Sed est animal

E. est rana.

Respondetur: Nulla est con-
sequentia, non valet consequen-
tia à positione consequentis ad
positionem antecedentis, nisi for-
te termini sint reciproci.

Regula Secunda.

A negatione vel destructi-
one consequentis ad negationem

D

ante-

antecedentis rectè argumentamur, sed non contra e. g.

Si quis habet pecuniam, ille habet bona.

Sed tu non habes pecuniam.

E. Tu non habes bona.

Respondetur: Non valet consequentia à negatione antecedentis ad negationem consequentis nisi fortè termini sunt reciproci. Vel est fallacia consequentiæ.

Enthymematicè proponuntur hæc vitia sive vitiosi syllogismi si tantum una exprimaturs propositio & altera subiceatur e. g.

Tu non es pater tuus

E. non es bonus.

Respondetur: Est fallacia consequentis: Pater meus quidem fuit vir bonus, sed non solus fuit vir bonus. Vel est syllogismus cum minore negativa in primâ figura.

Eti-

Aliud exemplum.

Caprae habent barbam.

E. Homines non debent habere barbā.

Respondetur: Est fallacia
consequentis: Caprae quidem ha-
bent barbam, sed non solae: neq;
omne quod habet barbam est ca-
pra: etiam homines habent bar-
bam. Vel est syllogismus affirma-
tivus in secunda figura: sive etiam
minor negativa in prima.

Aliud exemplum.

Est rufus.

E. est Judas.

Est habitior

E. est pugil.

Non est fortis

E. non est vir bonus.

Rustici dormiunt duobus oculis

E. Tu non debes sic dormire.

D 2

Etiā

Etiam asinus est animal.

E. Tu es Asinus.

Viri magnifici solent sic incedere

E. ego sum vir magnificus.

Tu non es rex

E. non debes tuo vivere arbitrio.

Mulieres sic lamentantur

E. Tu non debes sic lamentari.

Pyrrhus hoc fecit

*E. ego similis sum Pyrrho h. e. lau-
(dabilis.*

Non sum mendicus

E. non ero supplex.

Deprehenditur hoc vitium & alijs ostendetur: Si resolvamus in figuram categoricam & additâ alterâ propositione quæ subtrahatur, & adducto simili sophismate vel exemplo fallaciæ.

CAPVT XVI.

DE

*DE FALLACIA SE-
CUNDUM NON CAU-
sam ut causam.*

CAusa conclusionis sunt propo-
sitiones duæ, Non causa est pro-
positio nihil pertinens ad syllogi-
smum.

Fallacia à non causâ ut causâ
dupliciter committitur: primum
in syllogismis categoricis, quibus
ponitur propositio aliqua, & affir-
matur hanc illius esse rei causam,
sive falsam assignamus rei causam.
e. g.

*Quod inebriat est abrogandum
Sed vinum inebriat
E. est abrogandum.*

Respondetur: Est fallacia
causæ in minore propositione: vi-
num non inebriat, sed nimius vini
potus: sive vinum non est causa
ebrietatis, sed hominis intemperan-
tia, ideo vinum non est reprehen-
dendum, sed vini potus.

D 3

Se.

Secundò ponitur in syllogi-
smis hypotheticis & ducentibus
ad impossibile sive absurdum.
Hic ubi adversarius dicit sequi hoc
vel illud absurdum tunc solemus
respondere, esse fallaciam causæ,
non sequi absurdum ex nostra the-
si, sive nostram thesin non esse
causam istius absurdi. Et damus
vel monstramus aliam proposi-
tionem adversarij, quæ sit causa falsi
consequentis e. g.

*Si ebrietas esset vituperanda, tunc
multæ virtutes essent vitu-
peranda.*

*Sed secundum vestram thesin ebrie-
tas est vituperanda*

*E. multæ virtutes erunt vituperanda
quod est absurdum.*

Respondetur: Est fallacia
causæ: absurdum non sequitur ex
nostra thesi: sed inde sequitur quod
adversarius tacitè præsupponit e-
brietatem esse virtutem.

CA-

CAPVT XVII.

DE FALLACIA PLU-
RIUM INTERROGA-
TIONUM.

INterrogatio est propositio probandi causa adducta. Olim autem in disputationibus propositiones per interrogationem efferebantur, inde ergo synonyma sunt interrogatio & propositio.

Fallacia plurium interrogationum inde captatur si plures e.g. duæ propositiones una vera, altera falsa connectantur in unam propositionem, & pro una propositione ponantur, ut non possit respondens simpliciter affirmare vel negare quin capiatur. Plures propositiones illæ in unam sic connectuntur.

I. Per verbum Homonymon
e.g. si dicam

*Habet ne omnis taurus cornua? Si
concedis subsumo:*

D 4

In

*In Asia est quidam mons Taurus
E. Hic habet cornua.*

Aliud.

*An non omnis corvus est niger? Si
quis annuit subsumo,
Tu vocaris corvus
E. Tu debebas esse niger.*

Aliud.

*Annon unus est mundus? Si quis
negat, dicimus illum absurde
hoc negare: Si annuit, dici-
mus: An non decem mundi
sint dicit Evangelium, decem
autem non sunt unus.
E. mundus non est unus.*

Solvuntur hæc sophismata
per distinctionem vocabuli ambi-
gui. Et statim ad interrogationem
dicendum est, non posse simplici-
ter responderi propter vocabuli
ambiguitatem, propter quam fiat
ut non sit simplex una interroga-
tio.

tio. Ideo non posse dari unam simplicem responsionem e. g. Habet ne taurus cornua, Respondeo non possum respondere uno verbo, Fortasse vocabulum aliquod aliter accipis atq; ego intelligo, explica quid intelligas per vocabulum taurus. Taurus significat aliquando animal, aliquando montem in Asia, si de animali intelligis concedo, si de monte intelligis, non concedo.

2. Plures propositiones partim veræ, partim falsæ connectuntur in unam, quando propositio aliqua interrogatur non controversa, quæ tamen præsupponit, vel includit quodammodo aliquam propositionem falsam & controversam e. g. an non viri boni & utiles sunt laudandi? quare etiam ebrij sunt laudandi. Huc pertinet artificium oratorum, qui multa dicunt de genere & propositione majori & pro ea pugnant atq; eam

D 5

de-

defendunt. Quæ tamen non sunt
controversa, interim tacent de
propositione minori quæ erat
probanda.

3. Plures interrogationes par-
tim falsæ partim veræ, ponuntur
pro una per compositionem con-
trariorum adjectivi & substantivi
vel per conjunctionem e. g. An
non tu es bonus nequam? Si con-
cedis, dico, E. tu es nequam, si ne-
gas, E. tu non es bonus.

Aliud Exemplum.

Esne tu dives vel pauper?

*Si affirmas dico Ergo es pauper, si
negas dico.*

E. non es dives.

Aliud.

*Esne tu bonus vel malus? Si affir-
mas dico, Ergo non es malus.
Si negas dico*

E. non es bonus.

Ali-

Aliud.

An non est verum, corvus & cygnus sunt nigri? Si affirmas, dico, E. cygnus est niger.

*Si negas dico
E. corvus non est niger.*

Allud.

Estne cygnus albus & niger? Si affirmas, dico, Ergo Cygnus, est niger. si negas, dico,

E. Cygnus non est albus.

Aliud.

*Est ne veritas defendenda, & sic licet mulieri contradicere marito, si affirmas, dico, E. mulieri licet contradicere marito
si negas, dico,*

E. Veritas non est defendenda.

I. SOLUTIONES.

I Respondendum est non per simplicem affirmationem & negati-

gationem sive per Ita & non, sed primum per vocabula interrogata e. g. Esnebonus vel malus, Respondetur: sum bonus, non sum malus.

2. Per distinctionem, ut dicamus non esse unam interrogationem, itaq; non posse responderi uno verbo e. g. Est ne cygnus & corvus niger. Respondetur non possum verbo respondere, corvus quidem est niger, sed cygnus non est niger.

3. Respondetur per simile Sophisma e. g. Es ne tu bonus an malus, Respondetur: Es ne tu ater an candidus calidus an frigidus.

CAPVT ULTIMVM.

DE USU LOCORUM SOPHISTICORUM AD JOCOS.

Jocus videtur esse risus quædam captatio vel materies. Risum
au-

autem movent, quæ deformitatis
in alio aut turpitudinis, aut damni
etiam, tolerabilis & præter expe-
ctationem accidentis habent signi-
ficationem e. g. Ubi Nisus faciem
ostentabat & udo

*Turpia membra fimo : risit pater opti-
(mus olli.*

*Ita faciles vel ignoscentes & leve du-
(centes crimen Nymphæ risere. Ecl. 3.*

*Sic Menatem labentem socij & risere na-
(tantem*

*Et falsos rident revomentem pectore
(fluctus.*

*Sed ubi Lausi hostis-vultum vidit mo-
(rientis & ora*

*Ora modis Anchisiades pallentia mi-
(ris:*

*Non ridet : Sed Ingemuit miserans gra-
(viter.*

*Et sine risu ista: Heu cadit in quenquam
(tantum scelus!*

*Et ubi Entellus heros & senex cecidit It
(clamor cælo!*

*Sed commiserantium, nam primus-ac-
(currit Acestes*

Æquus-

Æquævumq; ab humo miserans attollit
(amicum.)

Quoniam autem plurima inter homines orationis & rationis communicatio: in his potissimum ea turpitudine fingitur ut vel te similes tardum & falsum atq; impeditum aliquo istorum sophismatum loco, ambiguitate puto vocabuli, falsa causa &c. aut alium implices. Sed arridendum est: & cavendum ne cum periculo existimationis alienæ cavillum conjunctum sit. Differunt enim Sophisma & cavillum non nisi fine. Quod Sophista victoriæ gloriam & sapientiæ de se opinionem; cavillator risum & oblectationem conversantium quærit. Materies capienda non ex Dialecticis sed præsentibus sermonibus. Ut in his ambiguitas aliqua vocabuli: aut varius accentus, aut orationis figura, aut alius atq; alius Constructionis compositionis aut divisionis sensus &c. ad implicandum

dum aliorum intelligentiam aut
tuam simulandam simplicitatem
detorqueatur e. g. dicat quis: Ve-
ritas odium parit. Ita, inquam: fe-
ritas odium parit. Ideo nihil mirū
te omnium odium incurrisse cum
nihil te sit ferocius. Dicat quis: o
nos stultos! Nihil inquam vulga-
tius: ὄνον stultum esse pecus.

*Ex diver.
acc.*


*falsa com-
posit.*


Dicat quis: Valdè amo hoc ge-
nus conversationis. Audieram in-
quam dudum te amare. Dicat quis
ociosus: Infomnem hodie noctem
duxī. Credo, inquam: ita multis
curis exagitaris. Si sic argumenter:
placenta est cibus spiritualis: quia
non habet carnem & ossa: est iocus
à consequente falso. Si sic: Ardes
amore: Itaqué frigere non potes: est
lusus ex ambiguo vocabulo capta-
tus te. Sed non possum de his nūc
pluribus. Solus at artifices qui fa-
cit usus erit. Doctrina de Syllogi-
simo in genere item Topica, de in-
ventione aliās dabitur.


falsa div.

falsa causa

Christo gloria & honor.







154778

✓

ULB Halle

3

004 081 765





Sb.

12

1017







DE SOPHISMATIS CON-
STRUENDIS ET
solvendis,

Methodus Aristotelis:

*PERSPICUIS DEFINITIONIBUS, & EXEM-
plis accommodatis de-
clarata.*

Liber Lectori

*Ad loca: tum fraudes adversum serius idem
Promitto. Æsopum si quis amabis, emes.*

Fac.

*M. Antonius Burchardus,
Jll. Pad. SubR.*

STETINI Typis Martini Mul-
leri, Anno 1611.